De

RECUPERATORIBUS

ad

T. Livii locum l. 26. c. 48. § 8. — 10.

ADNOTATIO.

Auctore

L. Kühnast,

PH. DR., GYMN. THOR. PROF.

[illegible] Exemplar des [illegible]
Kühnast.

THORUNI, typis Preussianis.

A. D. MDCCCXXXXV.

Adnotatio

ad

T. Livii locum l. 26. c. 48. § 8. — 10.

De Romanorum iudiciis recuperatoriis tantopere inter se discrepant virorum doctorum sententiae, ut res paullo difficilior, quam est, atque etiamnunc reperto Gaio aliisque iuris civilis monumentis, quae diu latuerant, in lucem prolatis prope inextricabilis videri possit. Sed illorum alii in hunc antiquitatis Romanae locum accuratius inquirere neglexernnt, ut Car. Bretus, Corasius, Franc. Polletus, Volgangus Lazius, ipse Barn. Brissonius, Nic. Grucchius, I. G. Graevius, G. Hugo, Ch. G. Haubold, Ed. Schrader [1]), quorum numerum augebis, si iis addideris e iuris consultis Budaeum [2]), ex aliis Franc. Sylvium [3]), Christ. Hegendorphium [4]) cum Mich. Toxita [5]) et Eubulo Dynatero [6]), Ioannem Tislinum [7]), quem secuti sunt Petr. Pellitarius et Barth. Latomus [8]), Iacob. Gro-

1) Quorum sententias cum aliis insigni diligentia recensuit, qui nuper de Romanorum iudicio recuperatorio commentationem scripsit I. A. Collmann (Berol. 1835.), pag 2. sqq., et post eum Car. Sell. in libro: D. Recuperatio d. Römer (Brunsv. 1837.) p. VI. sqq.

2) Ad Dig. p. 376. Cum Atheniensium diaetetis recuperatores comparavit.

3) Comment. in Cic. Div. in Caec. 17. In causis privatis ex equitum aut publicanorum ordine delectos fuisse coniectavit.

4) Schol. in eund. Receptionem rerum ablatarum recuperatores curasse ex eorum nomine coniecit.

5) Comm. in eund.

6) Schol. in Cic. act. 2. in Verr. 3, 11.

7) Comm. in Cic. orat. p. Caecin. 1. E mandato in causis privatis eos iudicasse sibi finxit, datosque fuisse, quum de metu, dolo malo, vel vi armata contenderetur.

8) In eund. 17.

novium[1], Franc. Hotomannum[2]. Alii, coniecturis etiam confisi, in longe diversas abiere sententias, cum Ioach. Camerarius[3] recuperatorum officium fere ad sponsiones revocaret, contra Everard. Dupont, quando per sponsionem ageretur et quoties certae pecuniae esset condemnatio, iudices, recuperatores autem frequentius in interdictorum causis iudicasse doceret[4]. Pars, aliis antiquitatis testimoniis nitentes, alia contemnentes, recuperatorum officium nimis arctis finibus circumscriptum fuisse existimaverunt, ut Siccama[5], Noordkerk[6], Ernesti[7], H. E. Dirksen[8], vel satis dilatatum, ut C. F. Zepernick, vel denique ad rei factae cognitionem, non etiam ad iuris disceptationem, neque ad eius, quod praestandum esset, aestimationem pertinuisse, in quorum numero sunt Heraldus et Stahlius[9]. Pauci tantum rem ita tractaverunt, ut eorum bona opera confidentius uti possis, Car. Sigonius[10], A. Schweppe[11], Aug. Guil. Heffter[12], Imm. Ge. Huschke[13], Tigerstroem[14], Zimmern[15], Collmann[16], Walter[17] et Sell[18].

Sed eorum etiam, quos ultimo loco recensui, sententiae de plurimis materiae nostrae capitibus satis discrepant. Quumque de recuperatoribus quaestio magnam partem e sententia, quam de eorum origine conceperis, pendeat, de hac quoque non omnes consentiunt, ut ipse Walterus[19], derivari eam e iure pacis sive gentium[20] iure, qui

1) In Tac. Ann. 1, 74.

2) In Cic. Or. p. Caecina 1.

3) In Cic. p. Flacco 4. „Recuperatores dabantur, quum quis ab alio suum teneri aut possideri diceret et postularet, ut recipere liceret. Petebatur autem restitutio vel in eum locum, unde deiectum sese esse, vel eius, quo se fraudari aliquis diceret, quod etiam si interiisset, aestimari solebat, ut in notis est Q. E. R. E. T. P. I. R. D. — In his plerumque certaverunt sponsione, sed et in aliis sponsionibus recuperatores dati fuerunt.“

4) V. Collm. pag. 5.

5) Ibid p. 2. cf. Sell. p. VII.

6) Cf. eosd. ibid.

7) Clav. Ciceron. s. v.

8) V. Collm. pag. 6.

9) Cf. Collm. p. 5. et 7. Sell. p. VII. et p. 431.

10) De antiq. iure civ. Roman. 2, 18. De iudiciis 1, 22. et al.

11) Gesch. d. r. R. § 548.

12) Observatt. ad Gaii Comm. IV. p. 102. et al. Institutt. d. Civilproc. l. 1. tit. 2.

13) Excurs. II ad Cic. or. p. Tullio in Analect. literar. (Lips. 1826.) p. 215. sqq.

14) De iudicibus § 26 sq.

15) Röm. Rechtsgesch. III. § 9. et al.

16) In l. supra laud.

17) Gesch d. r. R. p. 715. et al.

18) In l. s. l.

19) p. 718. n. 41.

20) Nam hoc quoque gentium Romani appellabant. Liv. 1, 14 2, 4. 4, 17. 5, 36. 51. 8, 5. 30, 25. et al. Ascon. in Verr. act. II. 1, 33. Fr. 17. Dig. de legatt. (50, 7.).

affirment, antiquitatis testimoniis plane destitui pronunciaverit, Sellius autem, quamvis ingenii acumine et studiorum sollertia vir eminens, hoc potissimum a reliquis dissentiat, quod etiam provinciarum iudices omnes recuperatorio nomine comprehendi existimat[1]). Quae sententia quum alterum rei nostrae cardinem paene evertit, in publico civitatis Romanae commodo positum et a Collmanno egregie monstratum, quo sublato vix quisquam explicare poterit, qui factum sit, ut tam sero[2]) recuperatoria iudicia inter cives constitui potuerint, tum ex unico fere Apuleii loco[3]) eruitur (si hoc eruere est, non hallucinari), in quo Madaurensis philosophus θεσμοθετῶν vocabulum ex Aristotelis libro[4]) recuperatorum appellatione reddidit, cuius tamen rei praeter eam, quam Sellius tam artificiose excogitavit causam, etiam aliae eaeque iustiores, afferri possunt. Nam primum quidem etiam tum temporis recuperatorum extra primum urbis milliarium (ad solam enim provinciarum formam decurionum municipalem ordinem non referre debebat Sellius) solum iudicantium consilium et, ut ita dicam collegium fuit, quod cum illo Attico quodammodo comparari potuerit. Deinde sub ipsis thesmothetis δίκας ἀπὸ συμβόλων (iudicia recuperatoria) fuisse, Iul. Pollux. diserte tradit[5]). Denique nemo mirabitur, si dei „imperium" describens Apuleius, vir iuris etiam peritissimus, ad ea iudicia, quae prae aliis imperio continebantur[6]) potissimum cogitationem intenderit. Neque, opinor, ita Cicero in oratione pro Flacco[7]) recuperatorum vocabulum ante verba „causa cognosceretur" posuisset, nec in Verrina[8]) Siculorum ius et iudiciorum ordinem diserte exponens, iudicum potius, quam recuperatorum nomen constanter adhibuisset, ne id dicam, vix fieri potuisse, quin tam definita et circumscripta recuperatorum notio, si unquam fuisset, aut e Gaii verbis aut ex tot aliorum apud auctores veteres locorum uno saltem clarius elucesceret.

Itaque de iudicio recuperatorio quum repetitae et uberiori rei tractationi hic locus non sit, adnotatio tamen veniam habebit, ad Livii locum, in commentationis fronte indicatum, apposita, quod is locus prae aliis huius antiquitatis indagatores vexavit,

1) p. 384 sqq.

2) Cf. ipsum Sellii librum p. 408. sqq. et p. 415.

3) De mundo p. 285. ed. Basil. a. 1560. (p. 74 ed. Wech.)

4) I p. 400. Bekk.

5) Onom. 8, 88, quem l. iam laudaverunt Hermann Gr. Staatsalt. p. 297., Meier et Schöm. Att. Proc p. 775. Cf. Phot. Lex. p. 59, 22 ubi de ξενίας causa. Iidem thesmothetae σύμβολα confirmabant. Poll. l. l. Demosth. Or. de Halon p. 78.

6) Gai. 4, 105.

7) p. Fl. 20.

8) 2, 13.

quum Huschkius et Zimmern mira inde de recuperatorum electione eruere conati essent [1]), ipseque Collmannus [2]) in eo excutiendo peregrini litigatoris personam plane neglexit, Sellius autem rei nostrae cardinem in civitatis Romanae commodo positum prope sustulit, ceterum uterque in eo erravit, quod iustam litigationem non fuisse existimaverunt [3]), cui tamen neque lis, neque ius [4]), neque agentium neque iudicantium neque ipsius praetoris persona deerat, quum in castris quoque imperatoris et ipsorum tribunorum [5]) esset iuris reddendi potestas. Nam hoc quidem leve est, quod ille M Sempronium legionariorum nescio quem praefectum fecit, hic illum in tali re secutus est.

Litigationis igitur satis iustae, cuius Livius auctor est, haec fuit causa. Capta nova Carthagine cnm Scipio praecipuum muralis coronae decus eius esse iudicaret, qui primus murum ascendisset et hortatus esset, ut, qui se dignum eo duceret dono, profiteretur, duo professi sunt, Q. Trebellius centurio legionis quartae et Sext. Digitius, socius navalis. Quorum contentio quum studia hinc legionariorum, inde sociorum, concitavisset, Scipio recuperatores se daturum pronunciavit. Erat igitur inter civem et peregrinum litigatio. Quae litigantium conditio eo maioris est momenti, quo serius recuperatoria iudicia de iniuriis [6]) et de vi hominibus coactis armatisve [7]) habenda in edictum praetoris inlata sunt [8]), ita ut a Q. Antistio Labeone et ipso Cicerone etiam causae, quae inferendorum ausam dedissent, referrentur, quod vix factum esset, si recuperatorum inter cives iudicantium antiquitus iam fuisset consuetudo. Itaque de utro-

---

1) Huschk. p. 245. Zimmern. T. 3. § 17. n. 18. et 19.

2) P. 44.

3) Sell. p. 171. Collm. l. l.

4) Immo actio fuit (et, ut iuris vocabulo utar, honoraria quidem), utcunque de Celsi (Fr. 51. Dig. de obl. et. actt. [44, 7.]) definitione statuis, cf. Savigny, Syst. d. h. r. R. pag. 10. Agitur enim e decreto Scipionis (cf. Gai. 4, 140.), „qui auctoritatem suam finiendae controversiae" proposuerat. Quod tum maxime fiebat, „cum de possessione aut quasi possessione" inter aliquos contendebatur (G. 4, 139). „Neque tamen (4, 141.) cum (decreto) quid iusserit (praetor) fieri, aut (interdicto) fieri prohibuerit statim peractum est negotium, sed ad iudicem recuperatoresve itur, et tum ibi editis formulis quaeritur etc." Nec id impedimento esse videbitur, „quod par utriusque litigatoris in his conditio est, nec quisquam praecipue reus vel actor intelligitur" (Gai. 4, 158.), cum hoc etiam in prohibitoriis interdictis et iis quidem, quae duplicia vocantur, in usu fuerit, ne de aliis actionibus duplicibus moneam. Cf. Savigny, Syst. d. h. r. R. 5. p. 151. sqq.

5) Liv. 28, 24.

6) Gell. 20, 1.

7) Cic. p. Tull. 12.

8) V. doctissimi Sellii expositionem p. 403. sqq.

que materiae nostrae cardine et primum quidem de recuperatorii iudicii origine accuratius dispiciendum est.

Antiquissima igitur, si rerum ordinem, quantum quidem fieri potest, spectamus, et simul plenior recuperationis mentio a Dionysio Halicarnassensi habetur, qui foedere inter Romanos et Latinos a Sp. Cassio cos. icto confirmatam esse docens[1]) notissima illa addit: *τῶν τε ἰδιωτικῶν συμβολαίων αἱ κρίσεις ἐν ἡμέραις γενέσθωσαν δέκα, παρ' οἷς ἂν γένηται τὸ συμβόλαιον.* Eaque satis diserta *δικῶν ἀπὸ συμβόλων*[2]) sive *ἀπὸ συνθηκῶν*[3]) iurisque inter cives et peregrinos dandi repetendique (*διδόναι καὶ λαμβάνειν τὰ δίκαια*) mentio est, rei apud Graecos quoque usitatissimae. De quorum consuetudine et usu, Romanorum iudiciorum ordini fere nulla ex parte absimili, pauca afferam, non ad probanda quidem, sed tamen ad confirmanda ea, quae de recuperatoribus dicturus sum, satis idonea.

Apud Graecos enim, si quid civitati iniuriae ab hostibus factum erat, primum civitatis nomine poscebatur restitutio. Quam *δοῦναι καὶ δέχεσθαι δίκην* appellabant. Exstant de antiquissimo tempore testimonia[4]), nec de posteriore desunt. Nam si ad iustum bellum[5]) vel ad certamen singulare[6]) descendere minus idoneum videbatur, pariter atque apud Romanos[7]) obnoxia capita noxae dabantur[8]), vel interveniente tertiae cuiusdam civitatis iudicio compromissario[9]), quod etiam Romani agnoscebant[10]), vel omnium societate iunctarum civitatum sententia per legatos in conventu pronunciata

1) 6, 95. (p. 415. Sylb.). Quae de Latinorum et Romanorum foedere Romulo rege facto e Dionysio Sellius affert p. 88. sqq. et alia nimis prisca hic missa facio.

2) Harpocr. s. v. *σύμβολα.*

3) Thuc. 1, 44. *δίκαι ξυμβόλαιαι* 1, 77. *συναλλαγματικαί.* Schol. ad Thuc. 1, 77.

4) Hom. Od. 21, 27. Il. 5, 804. 10. 286. 11, 40. Hymn. in Merc. 312.

5) Quod a praeconibus rite indicebatur. Abresch. dilucidd. Thucyd. p. 555. Ast. ad Plat. de legg. p. 14. Wachsmuth. de vet. iure gentium p. 45. Harless. de praecon. ap. Gr. p. 37. sqq. Unicum belli *ἀκηρύκτου* exemplum est bellum inter Aeginam et Athenas, de quo cf. Herod. 5, 81.

6) Il. 4, 276. cf. Wachsm. de iure gent. p. 47. n. 8. Notissimum est certamen de Thyrea. Herod. 1, 182. Thucyd. 5, 41.

7) V. Sell. p. 113. cf. p. 312. Liv. 9, 5. Cic. de off. 3, 30. Or. 1, 40. Flor. 2, 18.

8) Ita Leotychides rex a Lacedaemoniis Aeginetibus oblatus est. Herod. 6, 85.

9) Plut. in Sol. 10. Aelian. V. H. 7, 9. Plut. Pyth. or. 16. (p. 273. Reisk.) Herod. 5, 95. Plut. apophth. Lacon. p. 806. cf. Vales. ad Harpocr. p. 178. 332. (ed. Gronov.).

10) Exempla sunt ap. Cic. act. 2. in Verr. 2, 14.—18. 22.—25.

res diffiniebatur. Cuius societatis varia erant genera, in quibus *αἱ πανηγύρεις* conspicuae sunt[1]), Latinorum populorum foederi simillimum genus[2]). Earum autem duplicem fuisse speciem satis constat, quum vel amphictyonum ad instar in locum communi consensu sacratum convocarentur[3]), ut antiquitus Latini in lucum Ferentinum[4]), vel unius civitatis hospitali iure et mox imperio continerentur[5]), quemadmodum Latinorum foedus in Romanorum principatum et imperium mutatum est[6]). Utrisque proprium concilium (*τὸ κοινόν*) non defuisse, quod res communes tractaret civitatumque lites dirimeret, Calauriensis maxime amphictyoniae[7]) exemplum probat et Thermopylensis[8]).

Ceterum privatis iniuriam ab alterius civitatis privatis illatam, nisi facto inter utramque civitatem foedere iuris praebendi repetendique commercium communicatum esset, iure quidem vindicare non licebat. Ita e Doriensium foedere illo, cui Sparta praeerat, Corinthi consilium perpetuum foederatarum civitatum non solum lites transactione componebat, verum etiam cuiuscunque civitatis civium iura ab alterius civitatis privato laesa defendebat[9]). Idem Polybio teste ex Achaeorum foedere fiebat[10]). Acarnensibus commune forum erat Olpis[11]). De Cretensium *κοινῇ δικαιοδοσίᾳ* diserta

---

1) Earum vetustissimae habebantur Onchesti (unde *ἱερὸν* Homerus dixit in Il. 2, 506. cf. Hymn. in Apoll. 230. Strabo IX. p. 284. Alm. C. O. Müller, Orchomenos u. d. Minyer p. 84. 238 271.), Calauriae et in Isthmo (Müller, Dorier. I. p 238. Proleg. z. Mythol. p. 406. – 412.) atque Arcadum Lycaea panegyris, de qua v. commentatores ad Pind. Ol. 7, 153. Pausan 8, 2, 1. 38, 4 Dion. Halic. 1, 25. Cf. etiam, si placet, Hermann. Lehrb. d. gr. Staatsalterth. p. 30. sqq. (ed. 2).

2) cf. Dion. Hal. locum a Sellio laud. p. 75.

3) Valcken. et Wessel. ad Her 8, 104. Ruhnk. ad Tim, lex. Pl. p. 28. sqq. Hüllmanns Anf. d. gr. Gesch. p. 161. Boeckh Corp. inscrr. 1. p. 808. et Hell. Alterth. 1. p. 106.

4) Dionys. 3, 34. 51.

5) Strabo 9. p. 422. cf. Haupt. ad Aesch. Suppl. p. 100. Nomina earum collegit Wachsm. Hell. Alt. 1. p. 107. sqq.

6) Rem bene exposuit post Niebuhrium Walterus in libro Röm. Rechtsgesch. 1. p. 62.

7) Cf. Boeckh. Staatshaush. d. Ath. 2. p. 368. Buttmann, D. Minyer, in Mythologi T. 1. p. 217. C. O. Müller, Orchom. p. 147. Aegin. p. 25.—38.

8) De qua proprio libro (Berol. 1812. edito) egit Tittmannus, v. p 62. et al. Latinorum *κοινὸν δικαστήριον* commemorat Dionys. in loco a Sellio laud. p. 77.

9) Cf. Thucyd. 5, 19. c. l. 1, 28. et 5, 31.

10) Polyb. 40, 10. cf. 2, 37. Ceterum Achaeorum et Aetolorum *ἀσυλίαν* etiam in inscriptionibus satis saepe commemorari notissimum est.

11) Thucyd. 2, 105.

exstant testimonia. Coram κοινοδικαίῳ s. κοινῷ δικαστηρίῳ civitatis cuiuscunque civi alterius privatum arcessere licebat[1]) atque in foedere Hierapytniorum cum Priansiis s. Priasiis, cuius exemplar ad nostra tempora pervenit[2]), de eiusmodi iudiciis diligentius cavetur.

Sed maxime apud Athenienses haec iudicia, Romanorum recuperatoriis simillima, δικῶν ἀπὸ συμβόλων nomine instituebantur. Nam non solum peregrinis iis, qui ἰσοτελεῖς appellati solum Atticum inhabitabant, iuris commercium concessum erat[3]), sed et iis, qui euphemismo quodam sociorum nomine gaudebant (τοῖς ὑπηκόοις)[4]), et ipsis cuiusvis urbis extraneae incolis, qnacum iuris praebendi repetendique foedus esset ictum[5]). De iure autem, quo in eiusmodi iudiciis utebantur, Fr. Iacobsii sententia[6]), quam doctorum virorum plurimi sequuntur[7]), e mixto quodam utriusque populi iure normam conformatam fuisse, ad quam sententiae ferrentur, e Demosthenis verbis[8]) perperam interpretatis proposita est. Qunm enim orator, nullo inter Macedones et Athenienses icto foedere e Macedonico Atheniensibus in Macedonia agentibus, Macedonibus in Attica terra commorantibus ex Attico iure iudicia esse accipienda (τὰς δίκας ἐλάμβανον) indicat, aperte ad iudiciorum ordinem respicit ac nihil docet, nisi, δίκαις ἀπὸ συμβόλων alia ac popularibus consueta et legitima iudicia fuisse constituta, rem ex tot aliis locis notam et per se manifestam. Quippe aliud est δίκας λαβεῖν, iudicia accipere, aliud τὸ δίκαιον λαμβάνειν, iustum s. debitum accipere, ius obtinere[9]). De iudiciorum

1) Polyb. 23, 15.

2) Ap. Gruter. p. 505. Reines. 7, 22. p. 129. sqq. Marm. Oxon. n. 27. cf. Neumanni rer. Cretic. specimen p. 93.

3) Πάντα ἔχοντες τὰ αὐτὰ τοῖς πολίταις πλὴν τοῦ ἄρχειν. Ammon. dict. s. v. Μετέχοντες τῶν νόμων. Phot. Lex. s. v. (p. 115. Pors.). Cf. Heffter, D. athenäische Gerichtsverfass. p. 83. Platner, Beitr. z. Kenntn. d. att. R. p. 106. Boeckh. in d. Abhh. d. Berl. Acad. 1815. p. 120. Staatshaush. 2. p. 77 — 79.

4) Bekk. Anecd. 1. p. 436. Hesych. T. 1. p. 489. Pollux. 8, 6.

5) Aristot. de rep. 3, 1, 2. 3, 5, 11, Harpocrat. s. v. σύμβολα. (cf. Vales. p. 332. sqq.). Andoc. c. Alcib. c. 18.

6) Adnott. ad interpr. or. Dem. de Halon. p. 403.

7) Etiam Sellius p. 331., qui adeo ex eiusmodi iuris nescio qua mixtura iuris gentium, quod proprie dicitur, apud Romanos originem repetit p. 327. 337. sqq.

8) p. 79. Or. de Hal.

9) De v. δίκη significatione v. Meier. et Schöm. p. 157. sqq. Dicebatur etiam δίκην v. δίκας λαγχάνειν, quam locutionem Photio imprimis familiarem, (v. Lex. p. 58, 16. 133, 10. 212, 15. 267, 12. 290, 3. et al.) iidem explicant p, 595. sqq. Δίκην δέχεσθαι de iniuriae reparatione et poena usurpatum fuisse, supra monuimus. Ad idem locutionis genus interdum etiam

ordine imprimis cantum fuisse (veluti ne reus in vincula coniiceretur) et rebus consentaneum videbitur et antiquitatis testimoniis confirmatur [1]). Forum, quod scimus, plerumque rei fuit [2]), res satis importuna, si peregrinus reus erat, quod tamen multo rarius usu venisse quam Sellius existimare videtur [3]), ex hominum et rerum apud antiquos natura coniiçere licet. Ceterum in causis quibusdam definitis negotii gesti forum esse poterat [4]). Unde probabilius fortasse videbitur, si fori ius quoque civile in eius gene-

---

δίκας δοῦναι pertinere docet Thom. Mag. 99, 9. cf. 369, 14. (Ritsch.) Herod. 1, 2. 3. 9, 94. Soph. Electr. 240. (Δίκας αἰτεῖν est ap. Herod. 1, 2. 3. 4, 164. et al., δίκας ἀρέσθαι ap. Soph. El. 34.) δίκην διδόναι eodem sensu est ap. Plat. Gorg. p. 472. E. 476. A. Theact. 181 A. Crat. 400 C Soph Ant. 303. et al. Immo δίκην λαβεῖν Herod. 1, 115. (Δίκην ὄφλειν ap Sophocl. Fr. Polyx 470 D cf. Ruhnk. ad Plat. Tim. p. 202. δ. αἱρεῖσθαι Her. 9, 94. ἐκτίνειν ibid et ap Plat. Phaed. 81. D. Theaet. 177. A). Unde non accuratissime distinguit Orell. ad Aesch Ctesiph. c. 38. (ed Brem.), quem secutus est Poppo in Ind. Thucyd. p. 395., quamvis plerumque res ita se habeat, ut διδόναι δίκην sit „poenas dare", δ. δίκας „iudicibus rem disceptandam ac diiudicandam relinquere." cf Thuc. 5, 79. 1, 28. 1, 85. 144. 5, 27. et Schol ad Thuc. 1, 28, qui δίκας ἤθελον δοῦναι explicat: ἐπιτρέψαι δικαστηρίῳ καὶ κριθῆναι ἐβούλοντο. V. etiam C. Odofr. Mülleri Dorier 1, 182. Δίκας λαμβάνειν καὶ δοῦναι rite adhibuit etiam Plato de Legg. 6, 778. C. Δοῦναι καὶ λαμβάνειν δίκην eodem sensu est in Hymn. in Merc. v 312. Thucydides etiam δίκας διδόναι καὶ δέχεσθαι dixit 1, 140 et al. At τὰ δίκαια λαμβὰνειν quid significet et locutiones τά δίκαια ποιεῖν τινι, τ. δ. τάττειν, τ. δ. πράττεσθαί τινα monstrant et hi loci: Dion. Exc. legatt p. 738. ἡ δὲ βουλὴ τῶν Ῥωμαίων ἀπέστειλε τοὺς ἀξιώσαντας αὐτοὺς μηδὲν παρανομεῖν, ἀλλὰ καὶ διδόναι τὰ δίκαια καὶ λαμβάνειν (ius s iuris commercium praebere et repetere). Harpocrat. v. σύμβολα (p. 168. Dind.) τὰς συνθήκας, ἅς ἂν ἀλλήλαις αἱ πόλεις θέμεναι τάττωσι τοῖς πολίταις, ὥστε διδόναι καὶ λαμβάνειν τὰ δίκαια. Unde etiam διδόναι καὶ λαμβάνειν τὰ δίκαια περὶ τῶν διαφορῶν dixit Aristid. t. 2. p. 129, quum Thucyd. δ. κ. δεχ. δίκας τῶν διαφορῶν dicere poterat 1, 40. Itaque ap. Thuc. 3, 56. τὸ δίκαιον λαμβάνειν est „ius repetere", de quo loco aliquot virorum doctorum sententias affert Poppo. P. 3. V. 2. p. 700. (Ceterum τὰ δίκαια etiam significare „d. Rechtsgründe", bene monstravit Arnold. ad Thuc. 3, 44.) De re nostra cf. etiam, si placet, Valcken. ad Herod. 5, 83.

δίκας κρίνειν. Herod. 2, 129.

1) Andoc. c. Alcib. p. 121. Dinarch. c. Dem. p. 17. Cf. Heffter p 91. Platner. p 105. Hudtwalcker de diaetet. p. 123. sqq. Spanhemii orb. Rom. 2, 17. (p. 313. ed. Heinecc.) Meier et Schöm. p. 774. Ad eundem indiciorum ordinem refero, quae in plebiscito de Thermensibus caventur l. 57.—61. V. Dirksen. Beitr. z. Krit. d. r. R 4. p. 137.—202.

2) Dem. Or. de Halon. p. οὐκ ἐλυσιτέλει σύμβολα ποιησαμένους οὔτ' ἐκ Μακεδονίας πλεῖν Ἀθηνάζε δίκας ληψομένους κ. τ. λ. Atque ita etiam Antiph. de caede Herod. p. 745. locum, qui dificillimus putatur, facile interpretaberis.

3) P. 82.

4) Ita delicta a sociis in Atheniensium rempublicam commissa Athenis diiudicabantur, fortasse etiam omnia peregrinorum alia delicta. Iul. Pollux. 8, 9, 4. cf. 8, 10. De sociis loquitur Antiph. de caed. Herod. p. 122. et al.

ris litigationibus valuisse statuas, quamvis aequitate quodammodo et naturali ratione temperatum, id quod provocatione ad alterius populi iudices concessa[1]) firmari poterit. Nam hoc nihil firmat, quod Atheniensium socii ὑπήκοοι cum Atheniensibus litigantes[2]) ius Atticum agnovisse videntur[3]), quamvis ea iudicia, euphemismo δικῶν ἀπὸ συμβόλων nomine insignita, procul dubio frequentiora quam alia eiusdem generis Athenis essent. Quippe ἴσας et ὁμοίας δίκας Athenienses sociis non praebebant[4]).

Sed quum illa iudicia, e iure, quod gentium dicere licet, originem ceperint, hoc negligendum non est, eius iuris apud alios quoque populos similem fuisse conditionem. Quod cum foederum inter Neapolitanos et Campanos[5]), inter Graecos et Macedones[6]) denique inter Tuscos et Carthaginienses[7]) sancitorum leges probant, tum et alia quaedam communem eius iuris apud antiquitatis populos indolem monstrant. Nam ne de asylis dicam, et Pelasgis[8]) et Italiae populis[9]) et Aegyptiis[10]) et in Lybia[11]) et apud Arimphaeos[12]), fortasse etiam in Phoenicum coloniis[13]) usitatis, apud Graecos[14]) autem tam frequentibus, ut iis postea a senatu Romano modus praescriberetur[15]): publici hospitii ius Romanis[16]) et Italiae populis[17]) et aliis[18]), sed Graecis

1) Meier et Schöm. p. 775.

2) Ad huius tantum generis iudicia et grammaticorum de sociis verba referenda esse nemo non videt. Eodem pertinent quae de Aeginetis Epidauri litigantibus tradit Herodot. 5, 83. Itaque Boeckhii coniectura (Staatsh. 1. p. 435.) de foro e litis aestimatione diverso necessaria non videbitur.

3) Cf. praeter Hesych. l. supra l. Schol. ad Aristoph. Plut. v. 177. Xenoph. de rep. Atheniens. 1, 18. Casauboniana p. 50. Vales. ad Sozom. Hist. eccl. 7, 9. p. 151. Meier et Schöm. p. 778. sqq.

4) Thucyd. 5, 27. Male Gail: accorde dans ses tribunaux une entière et parfaite égalité. Deterius alii. Non officit, quod Athenienses gloriantur 1, 77. „nostro incommodo recuperatoria cum sociis iudicia ipsis Athenis aequis legibus (ἐν τοῖς ὁμοίοις νόμοις i. e. sive civis reus est, sive socius) constituentes“. Ibi enim ὁμοῖοι νόμοι speciosius commemorantur quam verius.

5) Dion. Exc. legatt. p. 738.

6) Liv. 39, 25. 26.

7) Aristot. de rep. 3, 5, 10.

8) De Iunonis asylo Troiana v. Serv. ad Aen. 2, 761. et 6, 505.

9) Cf. Neu de asylis p. 22. et p. 10.

10) Herod. 2, 113. Strabo 7, 803.

11) Neu, de asylis p. 25.

12) Plin. H. N. 6, 13.

13) Diod. 3, 189. cf. Flor 2, 12.

14) Wachsm. Hell. Alt. II, 1. p. 188. 350. I, 1. p. 109.

15) Strabo 4, 641. Tac. Ann. 3, 60. 64. Sueton. Tiber. 37. Augustin. de civit. Dei 1, 2.

16) Liv. 1, 45. 5, 28 50. Böckh. Corp. Inscrr. Gr. T. I. n. 1331.

17) Liv. 23, 8. Dionys. 5, 34. et al.

18) Caes. B G. 1, 31.

maxime familiare[1]) fuit atque item *ἰσοπολιτείας* ut apud Graecos[2]) ita apud Romanos[3]) simillima conditio.

Quae omnia quum alio quasi fundamento vix niti potuissent, quam communi omnium populorum commodo[4]) et naturali quadam aequitate, religionibus etiam quodammodo sustentata, ad alterum rei nostrae cardinem agnoscendum viam muniemus, si iudicii recuperatorii apud Romanos originem ad foedera cum exteris nationibus sancita revocare potuerimus. Atque hic praeter illum Dionysii locum, quem iam attulimus, Festi vel potius Aelii Galli verba[5]) auxilio sunt: „reciperatio est, quum inter populum et reges nationesque et civitates peregrinas lex convenit, quomodo per reciperatores reddantur res, reciperenturque, resque privatas inter se persequantur.“ Quae verba Livii locus[6]) ita explicat, ut de conventionis genere plane nulla dubitatio relinquatur, quippe: „Esse tria genera foederum. Unum, quum bello victis dicerentur leges. Alterum, quum pares bello aequo foedere in pacem atque amicitiam venirent; tunc enim repeti reddique[7]) per conventionem (*ἀπὸ συμβόλων*) res. Tertium esse genus, quum, qui hostes nunquam fuerint, ad amicitiam sociali foedere inter se iungendam coeant.“ Erat enim, eodem Livio auctore, mos vetustus Romanis[8]), ut in hostes s. perduelles[9]), cum quibus nec foedere nec aequis legibus iungeretur amicitia, non prius imperio tanquam in pacatos uterentur, quam omnia divina humanaque

---

1) Complectebatur fere *ἔγκτησιν* s. *ἔμπασιν* s. *ἔππασιν* (Boeckh. Corp. inscrr. Gr. I. n. 1335. 1562.—67. 1724. b. 1771.—3.), *ἰσοτέλειαν* (n. 1562. 3.), interdum ipsam *ἀτέλειαν* n. 1335. 1564. 1565. 1691.—93. 1771.—73.), quibus addi poterant *προμαντεία, προεδρία, προδικία* (n. 1691.—3.) et alia. De proxenorum conditione imprimis disertus est Demosth. adv. Callipp. p. 1237, 17. Lept. c. 49. et 111. Egerunt de ea praeter viros doctos a Creuzero in praef. ad Meiero-Marxianam Ephor. fragm. coll. p. XXIX. et Hermanno (Gr. Staatsalt. § 116. n. 4.) laudatos Spanhem. ad Aristoph. Ran. v. 461. Valck. ad Herod. 6, 57., ad Ammon. 2, 10. (p. 201.). Larcher ad Herod. 6, 57. n. 83. Koen. ad Greg. Corinth. § 162. Beck. ad Aristoph. Av. 1022. Simillima de Romanorum hospitio publico docet Walter. R. Rgsch. p. 56. sqq.

2) Hermann. Gr. Staatsalt. § 117, 6.

3) Fest. v. municeps. cf. Liv. 8, 14. Sall. Cat. 31. Dion. Halic. ll. infra laudand. Vell. Paterc. 2, 127. Zonaras 8, 19.

4) Eiusdem originis apud nostrates iudicia quaedam fuisse egregie monet Sell. p. 271.

5) Fest. s. v. reciperatio. 6) 34, 57.

7) Veteres laedere res rapere dicebant, similiter satisfacere, res reddere. Serv. ad Virg. Aen. 10, 14.

8) Liv. 28, 34.

9) Liv. 1, 32. Varro de L. L. 4, 1. (ed. Bip. p. 4.) fr. 234. Dig. de verb. signif. (50, 16.).

dedita, obsides accepti, arma adempta, captivi sub corona venditi, urbibus praesidia imposita essent[1]). Sin pax fiebat, ea vel induciarum nomine inibatur[2]) vel foedere[3]), quod aut iniquum[4]), aut aequum[5]) fuisse constat. Quodsi igitur ex aequo foedere rerum per conventionem reddendarum repetendarumque et possessionum, si quae turbatae bello fuissent, componendarum lex dicebatur, recuperatorio iudicio more satis vetusto agendum erat. Eiusque iudicii causa non in solo foedere, sed in aequa eius conditione atque in amicitia servanda posita fuit. Iuris autem antiqui formula, quam Livius[6]) commemorat, haud dubie ad ius feciale pertinet[7]), quod quum Romani ab Aequicolis vel Ardeatibus, Oscae gentis populis, derivarent[8]), eoque communi cum Latinis[9]) et Samnitibus[10]) uterentur, etiam recuperatoria iudicia iis cum aliis Italiae populis communia fuisse, a vero non absonum videbitur, quamvis ne ita quidem fetialibus in iudiciis recuperatoriis munus adscribes, quod iis assignavit Collmannus[11]). Ceterum „utriusque partis commodum,“ ab eodem auctore[12]) monstratum, in causa nostra haudquaquam negligendum erit.

Sed utrum ea iudicia etiam ad tertium illud foederum genus pertinuerint, quum, qui hostes nunquam fuerint, ad amicitiam sociali foedere inter se iungendam coierint, alia quaestio est. Quae tamen e Festi verbis, de bello gesto, nihil addentis, et ex aliis argumentis a Sellio[13]) allatis, in quibus sunt leges secundi foederis inter Romanos et Carthaginienses[14]) icti, nec non eius, quod Romani cum Antiocho fece-

1) Cf. Liv. 4, 34. 5, 21. 22. 6, 4. 13. 7, 19. 27. 23, 37. 24, 16. Caes. B. G. 3, 16. Cic. in Verr. 5, 30. Dionys. 4, 50. Polyb. 10, 16. Ioseph. B. Iud. 6, 9, 4. 7, 5, 6. Serv. ad Aen. 2, 244. 351. Festus v. peregrinus. Gai. 2, 69. Fr. 5. § 7. pr. Dig. de acquir. rerum dominio (41, 1.).

2) Liv. 1, 15. 2, 54. 5, 32. 7, 20. 22.

3) Quod antiquissimo tempore puris sagminibus adhibitis et tribus testibus praesentibus (Liv. 1, 32.) per patrem patratum icebatur (Liv. 1, 24. 9, 5.), deinde stipulatione fiebat (Gai. 3, 24.), denique nudo pacto s. nuda conventione inibatur.

4) Liv. 35, 46. 38, 11. Polyb. 1, 16. 22, 15. Cic. p. Balbo 16.

5) Liv. 34, 57. cf. 26, 24. 33, 13. Iosephi Antiqq. Iud. 12, 10, 6. Appian. de bello civ. 4, 65. — 70.

6) 34, 57.

7) Cf. Dion. 2, 72. (p. 131. Sylb.) Liv. 1, 32. Varr. ap. Non. Marcell. c. 12. (p. 782. Auctt. l. L. Gothofr.).

8) Liv. l. l. Dion. l. l. et 1, 21. Serv. ad Aen. 7, 695. 10, 14.

9) Liv. l. l. et 1, 24.

10) Liv. 8, 39, 1.

11) p. 28. sqq. cf. Sell. p. 139. sqq.

12) Liv. 34, 57.

13) p. 60. sqq.

14) Cuius verba a Polybio servata sunt 3, 24.

runt [1]), ita facile solvetur, ut amicitiae causam [2]) in secundi generis foederibus conspicuam etiam in his et valuisse et suffecisse credamus. Nec Livii locus adversatur, in quo de foederum legibus, quae paciscentibus iniquae vel sint vel esse possint atque de reparandis iniuriis bello acceptis, quae ad singulare quoddam recuperationis genus, idque fortasse antiquissimum, revocandae sunt, sermo habetur, iudicii vero recuperatorii fines minime describuntur. Immo ex alio scriptoris loco [3]), iuris praebendi repetendique commercium nullo foedere neque societate inita e sola amicitia pependisse, docemur [4]). Unde si earum quoque gentium, quibus hac tantum amicitiae [5]) coniunctione se illigaverint Romani, privatis apud recuperatores in civem agendi ius adscribes [6]), in errore non versaberis.

At, utcunque de his statuis, certe ob socii, qui peregrinus litigator erat, intervenientem personam recuperatorium iudicium Scipio constituere poterat, atque eadem plane ratione, qua apud Atticos sociorum (τῶν ὑπηκόων) lites δίκαις ἀπὸ συμβόλων diremptas fuisse vidimus.

Sed ut eiusmodi iudicia non ob civium, neque ita peregrini litigatoris, sed ob publicum ipsius civitatis, in qua illis agebatur, commodum inducta credamus, cum et res ipsa suadet et antiquorum auctorum verba, quae iam attulimus, tum haec sententia etiam aliis et rerum quidem testimoniis nititur.

Nam id primum tenendum est, quod recuperatoria iudicia quemadmodum alia, quae e singulari quodam Romanae civitatis usu et commodo instituta esse scimus, imperio continebantur [7]). Imperium autem, cum magistratus [8]) tantum esset, et in aliis, quae omitto, et in tribus illis verbis sollemnibus positum erat. Ex quibus iudicis datio s. iudicii datio, quamqnam etiam in iudiciis legitimis erat, huc tamen proprie pertinet,

---

1) Liv. 38, 38. Perperam igitur Collmannus isopolitarum conditionem ad iudicia recuperatoria constituenda postulat p 21 cf. p. 27. Ceterum, quum tria municipum genera fuerint (v. Festus s. v.), si antiquissima tempora spectas „primum et secundum eorum genus, quos Gell. (16, 13.) proprio nomine municipes facit, huc referas.

2) Cui commercium addit Liv. 41, 23.   3) Liv. 41, 24.

4) De Graecis quidem scriptor agit, sed Romani iuris vocabulis utitur.

5) Quae quam diversa a societate fuerit, prae aliis Appianus docet de reb. Gall. 13. φίλους (amicos) et συμμάχους (socios) stricte discernens.

6) Ceterum amicis ipso iure hospites publicos addes. Walter, R. R. p. 58.

7) Gai. 4, 105.

8) Fr. 215. D. de verb. sign. (50, 16.). Iudicis atque magistratus solum officium erat. cf. D. titt. de off. praet. (1, 14.) et de off. eius, cui mand. est iurisd. (1, 21.).

ubi lege non iubebatur [1]). Unde divisionis fundamentum, vix in alia re positum fuisse dices, quam in magistratus, cuius imperio finiebantur iudicia „imperio continentia“ [2]) de dandis vel non dandis iudicibus arbitratu. Quod si concedis, nec legitimorum iudiciorum effectus principalis (ut litis contestatio actionis novationem exhiberet) explicatione eget, nec id, quod concessa actori primum rei iudicatae actione, reo in litem deductae et mox ipsa iudicati exceptione [3]), inter iudicia imperio continentia atque illa legitima omne evanuerit discrimen.

Si igitur magistratus quodam arbitrio et decreto recuperatores dabantur vel denegabantur, praesertim in iis causis, de quibus foedere speciatim cautum non erat, vel in causis eorum privatorum, cum quorum populo amicitia tantum, non foedus, Romanis intercedebat, illorum datio publico civitatis commodo regebatur. Quod tamen quum etiam in defendendo peregrini iure et inviolata foederis sanctitate positum esset, peregrino actori recuperatores rarius denegatos esse arbitror, cives quippe Romanos et qui e gentium iure sententiam ferrent, reo tamen, quoniam recuperatoria iudicia non privatorum, sed civitatis causa instituebantur, fere iudicem datum, quem peregrini interveniente persona iudicare, Gaius [4]) commemorat. Itaque plerumque rei forum in recuperatoriis quidem causis ut apud Graecos, ita apud Romanos [5]) fuisse coniiceremus, etiamsi hoc antiquitatis testimonio non confirmaretur. Confirmatur autem disertis Dionysii verbis, ad quae Sellius animum non advertit, quamquam eum scriptoris locum ad alia monstranda in auxilium vocavit [6]). Nec officit, quod in foedere cum Latinis Sp. Cassio Postumio Cominio coss. facto negotii gesti forum constitutum esse traditur. Hoc enim sine dubio singulare aliquid fuit, Latinis Romano populo iam dudum coniunctissimis et illo ipso foedere municipibus [7]) factis concessum.

---

1) Non dico de lege, e qua actio descendebat, sed e qua iudicium constituebatur. cf. Gai. 4, 109.

2) Gai. 4. 106. Nemo enim magistratus iudicari iubere eo die poterat, quo privatus futurus esset. Cic. in Verr. 2, 13. Cf. tamen Heffter. in Observatt. ad Gaii comm. IV. pag. 102 sqq.

3) Gai. 4, 107.

4) 4, 105.

5) Ciceronis utique tempore in omnibus causis fuit. Act. 2. in Verr. 2, 13. 37. 38. Div. in Caec. 17.

6) *ἵνα ἡ ἐγκαλοῦσα (πόλις) δικάζηται παρὰ τοῖς ἀδικοῦσιν.* Sell. p. 88. Cave tamen, ne alia Dionysii verba eodem referas: *ὑπὲρ ων ἠδίκηντο Ῥωμαῖοι δίκας παρ' Ἀλβανῶν λαβεῖν.* ib. 90.

7) Dionysius inde ex hoc foedere constanter isopolitarum nomine Latinos appellat, v. 8, 35. 70. 72. 76. 77. cf. 6, 63. Ceterum Livius, qui etiam postea peregrinis eos adnumerare

Denique illam, quae demonstranda nobis est, publici commodi rationem, omnis iudicii recuperatorii apud Romanos historia, quatenus eam persequi possumus, satis superque comprobat. Nam postquam in colonias, ad causas inter colonos et peregrinos diffiniendas, ut recte monstravit Sellius, haec iudicia [1]) translata sunt, mox in repetundarum causas e lege, quam Cicero prae aliis socialem appellavit [2]), scilicet non ita ob civium Romanorum privatum, quam universae civitatis publicum commodum persequendas, inducta sunt [3]).

Itaque, quum constanter peregrini litigatoris interveniente persona haec iudicia haberentur, mox in provinciis quoque in usum vocari poterant, atque eo facilius, quod provinciae forma conventionis similitudinem praebebat. In Sicilia certe iudiciorum ita constitutus erat ordo, ut eiusdem civitatis incolis agentibus iudicium ad eius civitatis magistratus pertineret [4]), diversarum urbium cives coram iudicibus agerent, quos praetor e provincialibus elegisse videtur, quando civitas in privatum agebat, alius civitatis senatus iudicaret [5]), Romanus Siculo et Siculus Romano in ius vocatis iudices vel recuperatores [6]) e rei natione acciperent [7]), ceteroquin iudices e conventu civium eligerentur atque etiam recuperatorum decuriae rite scriberentur [8]).

Ceterum, quamquam etiam in aliis provinciis recuperatorum officium fuisse compertum habemus [9]), tamen id ipsum, quod in Sicilia etiam frequentius iudicasse videntur, si ita iudicabant, ad publicum civitatis Romanae commodum, in facienda Siculis, quam insignem fuisse scimus [10]), gratia positum revocabimus. Idque commodum simul

---

videtur (3, 5. 5, 19. 8, 15.) atque ipsis secundi belli Punici temporibus socios, Latinos et municipia discernit, originem magis quam ius Latinorum spectat, quod etiam antiquitus in commercio positum fuisse vix quisquam negabit. Nam, nisi fuisset, Cispadanae Galliae Latinitas in omni re alia potius, quam in solo commercio posita conspiceretur. Cf. Savigny, Syst. d. h. r. R. 2. p. 45.

1) V. leg. Thor. (ap. Marin., Sigon. et alios) sect 1. lin. 33. 34. sect. 2. l, 22. 26. L. Pseudo-Mamilia a Frontino nobis servata (ap. Goes. p. 340. sqq.) c. 5.

2) Div. in Caecil. 5. et 20.

3) Liv. 43, 2.

4) Cic. in Verr. 2, 13. Idem in Asia obtinebat e Scaevolae et Ciceronis edictis. Cic. epp. ad Att. 6, 1. 2.

5) Exempla sunt ap. Cic. in Verr. 2, 14.—18. 22.—25.

6) Cic. in Verr. 2, 29. 3, 11. 21. 22. 58. 59. 60. 5, 54. Div. in Caec. 17. pro Flacco 19. 20. 21.

7) Exempla v. ap. Cic. Div. 17. in Verr. 2, 37. 38.

8) Cic. in Verr. 2, 13. 3, 11. 59. 60. Verres tamen e cohorte dedit.

9) Ita in Asia fuit. Cic. p. Flacco 21.

10) Cic. in Verr. 2, 1. 2. cf. 2, 12. 13. 3, 6.

explicandi, qui etiam utroque litigatore peregrino Romae apud recuperatores agi potuerit[1]), ansam praebebit.

Eaque gratia inde imprimis conspicitur, quod temporis compendium et stricta quaedam celeritas huic iudicio, plane ut Atticorum δίκαις ἀπὸ συμβόλων[2]), propria erant. Certum enim fuisse ordinem, quo litigatores in iure admitterentur, disertis veterum testimoniis docemur[3]). Praeterea dubium non est, quin magistratus, quibus diebus iura reddebant, haud promiscue cuiuscunque generis negotiis vacaverint[4]). Immo e Gaio compertum habemus, manumissiones certis diebus institutas fuisse[5]). Recuperatores vero protinus dabantur[6]), atque ipsis nefastis diebus, si non dabantur (id enim Sellius nobis persuadere non potuit), tamen iudicabant[7]). Adde quod ceteri iudices negotiorum mole facile opprimebantur, cuius molis recuperatores expertes fuisse videntur[8]). Ceterum in iudiciis imperio continentibus magistratui tempus praescribere licebat, intra quod sententia ferretur[9]). Accedit stati cum hoste condictive diei momentum et praerogativa. An vero in his iudiciis semper decem tantum testibus denuntiandi[10]) facultas concessa fuerit, etiam ego dubito, quum testium adhibendorum numerus etiam in aliis iudiciis interdum definitus fuerit[11]). Immo magistratuum singulis edictis de hac re varie cautum fuisse putaverim.

Quod autem diximus, recuperatores e publico quodam reipublicae Romanae commodo datos esse, id inde colligendum est, quod in provinciis haud promiscue, sed in iis tantum causis iudicabant, quae ut protinus finirentur vel ipsius civitatis intererat.

---

1) Quod e Plauti Rud. 3, 6, 20. 5, 1, 2. 3, 4, 18. et 19. praeclare eruit Sellius p. 116. sqq. cf. 317. sq. morum Romanorum in fabulas palliatas immixtorum rationem habens, de qua re ad Schroederi, doctissimi viri, egregias commentationes legentes relegare liceat.

2) Isocr. Trapezit. 7. Demosth. c. Zenoth. p. 890. Cf. Sell. p. 271. n. 1.

3) Iuven. 16, 42. Serv. ad Aen. 2, 102. Senec. Epp. 106.

4) Cic. in Verr. 2, 15.

5) 1, 20.

6) Senec. l. l. Gai. 4, 185.

7) p. 279. sqq.

8) Cf. Gell. 14, 2, 9. Senec. de benef. 3, 7. Cic. p. Tull. 10. 41. Valer. Probus de notis Roman. ap. Gothofr. in Auctt. ling. Lat. p. 1477.

9) V. ll., quos affert Huschk. in Anal. lit. p. 243. sqq.

10) Leg. Pseudo-Mamil. c. 5.

11) Fragm. leg. Servil. c. 12. Valer. Max. 8, 1. Fr. 1. § 2. D. de testibus (22, 5.). Ceterum „denuntiare" vocabulo quam propriam vim assignasse Sellius sibi visus est (p. 288. sqq.), non ita demonstravit, ut in recuperatoriis iudiciis nullo modo valere potuisse nobis persuaserit.

Datos enim fuisse legimus, ne de repetundarum causa disertus sim [1]), ubi de vectigalibus ambigebatur [2]), in quaestione capitali sub sponsione: ni furtis quaestum faceret [3]), ex confessione in iure facta, vel si reus contumax erat [4]), quum de confessione extra ius facta cognoscendum fuit [5]), quum pecuniae certae creditae [6]) manifesta erant testimonia, denique in causa liberali [7]), et, ut videtur, omnino de statu [8]).

Sed quum reipublicae commodum etiam Romae strictam illam celeritatem exoleta legis actione per condictionem facta postulasse videretur, etiam ibi recuperatores judicasse traditum est. Quod, cum peregrini interveniente persona iam antiquitus darentur [9]), non ita difficile fiebat. Ceterum non ante quam legis actiones in odium venerunt neque vix ante legem Aebuliam duasque Iulias, quibus praetoris potestatem satis auctam fuisse scimus, inductos fuisse, ex iis causis, quas supra attuli, verisimillimum puto. Nam quamvis Gaius [10]) de legis actione per condictionem facta valde quaeri dicat, quare desiderata sit, cum de eo, quod dari oporteret, sacramento aut per iudicis postulationem agi potuisset, tamen ex ipsius verbis [11]) id saltem apparet, strictam quandam celeritatem in ea locum habuisse. Nulla enim erat in ius vocatio, quum sola denuntiatio a creditore debitori facta sufficeret, et, si XXX diebus praeterlapsis ad iudicem capessendum debitor non venisset, lis protinus adiudicaretur. Accedit, quod eandem actionem per legem Siliam de certa pecunia constitutam esse scimus [12]), in qua causa etiam recuperatores iudicasse modo vidimus.

Sed apertius etiam praetoris in dandis recuperatoribus arbitrium et publici

---

1) In qua ante legem Porciam, Calpurniam (quam Valer. Max. 6, 4. perperam Caeciliam appellat, cf. Sigon. de iudiciis 2, 27.) et alias latas privata tantum persecutio erat. Cf. Dirksen. Beitr. z. K. d. r. R. 3. p. 189. Klenzii Prolegg. ad leg. Serviliam p. XI. Imperatorum temporibus litium in his causis aestimandarum munus ad recuperatores rediit. Tac. Ann. 1, 74.

2) Cic. in Verr. 3, 11. 13. 28. 50. 59. 60.

3) Cic. in Verr. 5, 54.

4) Leg. Rubr. c. 21. (Hugo, Civil. Magaz. 2, 20).

5) Cic. Div. in Caec. 17.

6) Cic. p. Flacco c. 20. Nam Plauti in Bacchid. 2, 3, 36. locus huc non pertinet.

7) Ulp. 1, 13 a.

8) Sueton. Vesp. 3. Nam in ipsa provincia, ubi Flavia Domitilla nata erat, non Romae, consilium recuperatorum pronunciasse rei consentaneum videtur.

9) Huc referendus est Plauti l. in Bacchid. 2, 3, 36.

10) Gai. 4, 11. 30. Gell. 16, 10.

11) 4, 20.

12) 4, 18.

13) 4, 19.

commodi ratio in iis causis apparet, quas Romae inter ipsos cives ab eius generis iudicibus diffinitas videmus. Nam ne de assertionibus[1]) loquar, cum causae liberales rite ad centumviros vel ad unum iudicem pertinuerint[2]), aerarii vel fisci causis non defuisse, ita ut e reipublicae commodo videbatur, diserte docemur[3]). Atque, cum reipublicae imprimis interesset, ut legum sanctitas coleretur et magistratuum auctoritas valeret, in causis, ubi altera utra laesa videbatur, recuperatores datos esse legimus. Vires certe praetoris, sicut et aliorum magistratuum in animadvertendo positas fuisse, notissimum est. Quando autem aliquid in edicti ludibrium ita commissum erat, ut ipsa adeo praetoris auctoritas contempta videretur, recuperatores dabantur praetorisque munus in animadvertendo positum significatur[4]). Tum in actione, qua utebatur patronus a liberto contra praetoris edictum in ius vocatus quis ipsa verba „contra edictum“ in formulam sine causa inserta putabit[5])? Quid, quod de iniuriis quoque in legum ludibrium illatis, recuperatores iudicabant[6])? Nec aliter de vi bonorum raptorum actione statuendum est[7]). Nam omnis Ciceronis pro Tullio oratio eam habet indolem, qua demonstretur, actionem vi bonorum raptorum idcirco constitutam esse, ut homines, qui e bellorum civilium tempore summa cum impudentia vim et rapinas palam exercerent, iudicio recuperatorio coercerentur. Reliquas denique causas recuperatorias, quae ab auctoribus antiquis commemorantur[8]), eodem publico civitatis Romanae commodo complecti saltem posse, iam ante Collmannum[9]) Huschkius docuit[10]).

Ceterum quae ita disputata sunt, etiam recuperatorum numero, nisi apud invitos[11]), probari potest. Numerorum enim auctoritas quum in omni Romanorum antiquitate valuit[12]), tum etiam in iure non negligenda est[13]). Recuperatorum vero numerus,

---

1) Suet. Domit. 8.

2) V. doctam Collmanni expositionem p 78. sq et cf. Bethmann-Hollweg. disp. de Cviris in ill. Savigny, Eichhorn et Göschen Ztschr. f. h. Rw. 5. p. 121. sqq.

3) Suet. Nero 17. cf. Leg. Pseudo-Mamil. c. 5. „ita ut e re publica — videbitur.“

4) Cic. p. Tull. 10. et 41.

5) Gai. 4, 46.

6) Gell. 20, 1. cf. Cic. de invent. 2, 20. Auct. ad Herenn. 2, 13.

7) Cic. or. p. Tull. §.—10.

8) Cic. p. Caecin. 1. Gai. 4, 46. 185.

9) p. 83. sqq.

10) p. 224. sqq.

11) Sell. p. 198. sqq. Quam incerta vero in talibus utilitatis ratio sit, vel ex eo colligetur, quod eandem unius iudicis dationi subesse docet p. 199.

12) Niebuhr, R. G. 1, 272. 332. 351. 375. 385. 490. 573. 601. 2, 21. 54. 93. et al.

13) Quinque testium cum libripende in mancipatione adhibitorum mentionem intulisse sufficiat.

si nullius momenti fuisset, ternio eorum e prisca procul dubio antiquitate originem repetens et ad tribus illas Romuleas utique referenda, neque tam religiose observata esset, neque ab auctoribus toties commemorata [1]), adeo, ut quinarius eorum numerus, semel, quod scimus decretus, in causa occurrat, ubi quinque classium [2]) imago ad mutatam dudum rempublicam pertinens clarius expressa videtur [3]). Quod autem unius interdum recuperatoris mentio fit [4]), is in omnibus locis, quibus reperitur, unus e pluribus esse potest, quemadmodum Lactantii de uno recuperatore verba [5]) ad ternionem eorum tamen referenda sunt, et in nostro Livii loco C. Laelius recuperator, qui, si opinio me non fallit, primo loco nominatus iudicio praesidebat, reliquorum nomine ad praetorem de iudicio refert. In lege autem Thoria [6]) QUOD. IUDICIUM. IUDEX. RECUPERATOR (ve reddiderit) eodem iure etiam syllabam addi posse et „resve reddiderint" exprimi, quis est, quin concedat? Denique in lege illa multaticia [7]) tot verba desunt, simulque scriptura IUDICASSIT tam incerta est, ut, si ad recuperatorum eligendorum modum eorumque eierationem locum referas, nec a Sellio redargueris [8]), et simul aptiorem, quam quae Huschkio [9]) arrisit, COMMUNEM vocabuli interpretationem habebis. Atque ita non erit, quod Gaium impugnes, qui recuperatores toties non iudici sed uni iudici opponit [10]). Namq hoc levioris momenti est, quod Cicero in orationibus pro Caecina et pro Tullio coram recuperatoribus habitis constanter plurium iudicum mentionem facit [11]). Ceterum etiam consilii illius, apud quod causae probabantur [12]), quodque ne cum aliis [13]) confundas cavendum est, conditio illam de recu-

---

1) Cic. act. 2. in Verr. 3, 12. 21. 50. 60. Liv. 26, 48. Nec ultimis temporibus obliteratam fuisse Lactantii verba testantur, qui Rhadamanthyn recuperatorem appellat in Institt. div. 3, 20. Nam quae Sellius p. 430. ad hunc locum excogitavit, immo veri similia dicit, ea vana sunt, quum de rebus sacris penes pontifices fuerit iudicium. Cic. de harusp. resp. 7. cf. Fr. 2. § 6. Dig. de orig. iur. (1, 2,).

2) Nam sex classes fuisse (Dion. 4, 18.) hodie, repertis Ciceronis de rep. libris, nemo credit.

3) Liv. 43, 2.

4) Cic. p. Caec. 3. 21. act. 2. in Verr. 3, 11. 29. 49. 60.

5) l. l.

6) Sect. 2. r. 38. ap. Marin. 2. p. 569., ap. Sigon. 1. p. 638. (Lips. 1715.).

7) Ap. Dirksen. in l. Beitr. z. K. d. r. R. p. 216.—220. v. 19. et 20.

8) p. 189. cf. p. 184.

9) p. 249. 250.

10) 4, 46. 104. 105. 109. 141.

11) p. Caec. 1. 2. 4. 9. 11. p. Tull. 1. 5. 12.

12) Ulp. 1, 13a. Gai 1. 20. cf. Suet in Dom. 8.

13) Consilium decem senatorum etiam ad provinciam constituendam datum fuisse docet Liv.

peratorum numero sententiam confirmat. Cum enim servus manumissus aut civis Romanus, aut, si tantum in bonis fuerat[1]), Latinus Iunianus fieri posset, de duplici statu et duorum quasi populorum iure cognoscendum erat, unde quinarium recuperatorum numerum Romae duplicatum fuisse, non miraberis. In provinciis vero etiam alia causa accedebat. Quum enim cives Romani in provinciam transeuntes civitatem Romanam saepe alia mutarent idque num fecissent, in dubium vocari posset[2]), etiam ipsius iuris civilis[3]) causa gentium[4]) quoque iuris ratio habenda erat. Eaque utriusque iuris arctior in provinciis coniunctio etiam exemplo apud Dositheum proposito illustratur[5]). Namque a peregrino manumissus servus quamquam in bonis fuit, non poterat Latinus Iunianus fieri. Nec tamen praetor manumissum servire sinebat, *εἰ μὴ ἄλλως νόμῳ Ἑλληνικῷ χειρογραφηθῇ* i. e. legibus Graecorum scriptis literis manumissio facta erat. Eaque iuris gentium ratio procul dubio causa fuit, quod Theophilus[6]) illos recuperatores *περεγρίνους* appellat, quamquam omnes cives Romani erant.

At, utcunque de hac numerorum auctoritate et expositione nostra statuis, id aliis omnibus rationibus satis demonstratum arbitror, etiam peregrini litigatoris interveniente persona, si de ipsa causa in foedere speciatim cautum non esset, e praetoris decreto et arbitrio recuperatorum pependisse dationem.

Eaque res, si qua alia, ad Livii locum, de quo agimus facit intelligendum. Non enim recuperatores Scipio in iusta litigatione ob peregrini litigatoris intervenientem dedit personam, quod dare eos oportebat, sed dedit tantum, quum ea contentio

---

45, 17. Appian. de reb. Hisp. 99. de reb. Pun. 135. Sall. Iug. 16., quemadmodum etiam ad icienda foedera X senatores delegabantur. Polyb. 6, 13. (11.). Cic. in Vatin. 15. Philipp. 12, 12. Sed etiam praetoris (Liv. 38, 60.), aedilium (Iuven. 3, 161.) praefecti urbi (Plin. Epp. 6, 11.), ipsorum iudicum (Gell. 12, 13. Fr. 1. Dig. de off. adsess. (1. 22.) atque magistratuum in provincia fuit (Liv. 29, 20. Cic. in Verr. 2, 29. 5, 21.), ne de principis consilio loquar, de quo v. Dion. Cass. 52. 33. 53. 21. 55. 27. 56. 28. 57. 7. 60. 4. Plin. Epp. 4, 22. 6, 31. Spart. Hadr. 8. 18. 22. Capitol. Anton. P. 12. Herodian. 6, 1. Lamprid. Ael. Sev. 15. 16. 68. Fr. 17. Dig. de iure patr. (37, 14.).

1) Ulp. 1, 16.

2) Cic. p. Balbo 11. cf. p. Caec. 23. p. dom. 30. Boeth. Topic. 2. cf. Gai. 1, 131.

3) *δικαίου πολιτικοῦ*. Dosith. de manum 1. 4) *δικαίου ἐθνικοῦ*.

5) Dosith. 12. (14). Ad eius verba, quae paraphrastes Latinus perperam interpretatus est cf. 15. (17.) *ὡς ἐπιστολὴ γράφεται δούλῳ ὑπὸ τῆς δεσποίνης* et *ὁπότε ἡ ἐπιστολὴ γράφεται κ. τ. λ.* De aliis causis, quae ad illud consilium pertinebant, v. Dosith. 5. 7. (9.) 8. (10.).

6) 1, 6, 4.

prope seditionem veniret. Reipublicae igitur commodum erat, quod sapientissimum imperatorem ad compescendam militum seditionem, dandos protinus recuperatores, rem denique celeriter iudicandam hortabatur.

Quod quum ita esset, in electis quoque recuperatoribus strictam quandam celeritatem et temporis compendium si observaverimus, omnem ex hoc loco difficultatem sustulisse nobis videbimur, neque cum Huschkio [1]) et Zimmernio [2]) eligendi modum a Livio commemoratum in recuperatoriis iudiciis solitum et usitatum appellabimus.

Quum enim ex iis, quae docuimus, satis constaret, recuperatores apud Romanos constanter, atque etiam ad consilium, apud quod causae probarentur, in provinciis constituendum, e civium electos fuisse numero, neutiquam Laelium, qui et ipse civis Romanus erat [3]), e sociorum numero electum dices, neque magistratus unum vel plures recuperatores ab utroque litigatore electos addicere iisque unum addere consuevisse, scilicet ne in dubio pro reo cive pronunciandum fuisset, sed Collmanno [4]) potius et Sellio [5]) assentieris, ex quibus hic recuperatoris reiiciendi vel eierandi potestatem [6]) litigatoribus fuisse, egregie monstravit, sumendi facultatem fuisse Livio imprimis teste probare [7]) poterat, ceterum de iudicibus vel recuperatoribus sumendis litigatorum arbitrium e legis multaticiae fragmento eruisse immerito sibi visus est, quod, si quid docere potest, ad eorum eierationem tantum et reiectionem pertinere, supra indicavimus.

Itaque Scipio, quum utriusque partis advocatos [9]) recuperatores eligeret, id tantum cavit, ne iudicum eieratione s. reiectione bonum tempus tereretur atque universae civitatis Romanae commodum in compescenda protinus militum seditione positum destitueretur.

Cic. in Verr. 3, ~~1~~14. Verris edictum terminabatur his verbis: omnium controversiarum, quae essent inter aratorem et decumanum, si uter vellet, recuperatores daturum. (Drumann 5, 283.)

---

1) p. 245.
2) III. 17. n. 18. et 19.
3) Classi praefectus fuit. Polyb. 10, 9. Liv. 26, 42. Praetor factus est. Liv. 33, 24. Siciliam provinciam sortitus est, 33, 29. Consulatum ambiens repulsam passus (35, 10.), denique consul creatus est (36, 45.).
4) p. 44.
5) p. 171. sqq.
6) Cic. in Verr. 3, 60. Recuperatorum addictio est in fr. leg. Pseudo-Mam. c. 3. (ap. Goes. p. 340.).
7) 43, 2.
8) Sell. p. 182.
9) In aliis etiam recuperatoriis causis partibus eos adfuisse testis est Liv. 43, 2.

Indicantur

aliquot in antiquitatis monumentis loci, quibus in hac commentatione lucem adferre auctor conatus est.

Corrige p. 6. l. 18. ansam p ausam. P. 8. l. 11. et 12. lege: quod Sparta custodiebat. ib. n. 3. l. 2. inde Wachsmuthii nomen.

Herod. VI. 42. Dem. de Halonn. 78(9).

END OF
TITLE